

sine ullo incremento & decremento in se & à se habere ac possi-
dere, & nullo modo non esse, ut quicquid est, aut esse aut concipi,
potest, vel ab ipso, vel in ipso sit. Quod enim ita est, ut se esse,
nesciat, vix dici potest esse. Nihil saltem perfectissimum esse,
aut dici potest, quod sit sine conscientia sui. Omnis ergo perfecti-
onis fundamentum est, esse sui conscius. Cum conscientia sui,
esse, est cogitantem esse. Cogitantem esse, est intelligere & vel-
le. Perfectissimum est, & se ipsum ut perfectissimum, & omnia,
præter se à se & per se perfectissimo modo cognoscere, sive omni-
scium esse. Perfectissime velle, est in se ipso ut perfectissimo per-
fectissime acquiescere: lætari ac beatum esse, omniaque volendo,
facere posse, atq; omnipotentem esse, &c. Quod ergo perfe-
ctissimum est, perfectionem omnem in se, à se & per se necessario,
atq; immutabiliter sine ullo defectu possideat oportet, ut nulla,
veri nominis perfectio de eo negari possit. Hoc ipso enim
imperfectum esset. Unde quando decretum humanum nititur
ratione, à qua voluntas ad decernendum impellitur, tan-
quam causa impulsiva realiter tali, Dei voluntas in decer-
nendo nititur ratione, sive interna sive externa illa dicatur,
tanquam causa impulsiva virtualiter tali, sive ratione à priori,
quæ nostro tantum cogitandi modo instar causæ impulsivæ se ha-
bet. Quando in humanis decretum deliberatum dicimus, illud
intelligimus, quod consultatio proprie sic dicta antecessit. Dei de-
cretum autem deliberatum appellamus, quia nulla quidem prævia
proprie dicta consultatione, sed quam maxima tamen *à se ipso*
id factum est, quemadmodum decretum humanum, quod sapi-
entissime formatum est, & rationibus adeo bene subductis niti-
tur, accurata consultatione prævia factum esse solet.

§. VII. [3] Quicumque voluntatis suæ in re aliqua ex pluri-
bus eligenda haud aliam, præter voluntatem suam, esse causam
impullivam dicit, ille se non sapientem esse hoc ipso indicat.

Deus, cum ex Calvinianorum sententia aliquos, absolute eli-
gere se in Scriptura affirmat, ita agit.

B 2

E. De: